I. N. J.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PASSIONE ILIACA,

Qvam,

DIVINO NUMINE AURIGANTE

CONSENSU atqve AUTORITATE

AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

In Alma ac Perantiqva Electorali Academia Hierana,

Sub PRÆSIDIO

VIRI Nobiliſsimi, Excellentiſsimi atqve Experientiſsimi

DN. JOANNIS PHILIPPI EYSELII, MED. D.

Anatomiæ Chirurgiæ ac Botanic. P. P. Ordin. Facultatis Med. Aſſeſſ. graviſsimi, P.L.C.

DN. PATRONI & PROMOTORIS ſui æternùm colendiſsimi,

PRO LICENTIA

Summos in Medicina Honores,

PRIVILEGIA & IMMUNITATES DOCTORALES

legitimè conſeqvendi,

Publico Eruditorum Examini ſubmittet

PAULUS CHRISTIANUS Stahl/

Bescovv, March. Practicus Lipſienſis.

IN AUDITORIO COLLEGII MAJORI Horis conſvetis

Die 5. Februarij 1698.

Erfordiæ, Typis Joh. Henrici Groſchij, Acad. Typograph.

I. J.

§. I.

O'NOMATOLOGIAM more hactenus recepto non immeritò præmittimus. Dicitur hic affectus Iliacus vel εἰλεὸς, vel à parte affecta ſcilicet inteſtino Ileo, vel à ſymptomate ἀπὸ τῦ εἰλεῖν volvendo; *Latinis* volvulus, non verò quod in nodum convolvantur inteſtina aut involvantur, ſed quod inteſtina, quæ aliàs naturaliter vermiculari quodam motu moventur, in hoc affectu convolvi & inverſo periſtaltico motu verſus ſuperiora verti videantur. Alij derivant ἀπὸ τῦ ἐλεεῖν à miſerendo, ob inſignem & acutisſimum dolorem, itemque fœdas evomitiones excrementorum, vel quod dignum ſit hoc malum commiſeratione, quapropter Medicinam ſectantes *Barbari* ſeculis ſuperioribus miſerere mei appellare. Dicitur quoque chordapſus, quod vocabulum ſignificat expanſionem chordarum, â ſimilitudine nempe ſecundum *Galenum*, quia ſi applicetur manus abdomini, chordæ inſtar expanſum videatur: *Cœlio Aureliano* 3.acut.§.17. tormentum audit acutum. Hodie plerisque dicitur pasſio Iliaca, quod præcipuê ileum doloribus & intolerabilibus cruciatibus afficiatur.

§. II.

Peractis nominalibus conſiderationibus accingimus nos ad realem,& definimus ſequenti modo: Paſſio iliaca eſt convulſio inteſtini ilei,cum dolore intenſisſimo ac interdum excrementorum evomitione, â fibrarum inteſtinalium peculiari irritatione exorta.

§. III.

Generis loco convulſio poſita, quoniam in hac videtur iliacæ paſſionis eſſentia conſiſtere, unde non inepte epilepſiam inteſtinorum plebeji [die ſchwere Noth im Leibe] appellant. Per convulſionem autem primariò contractionem præternaturalem ſive quarumvis partium ſpaſmum intelligimus, & ſimul peculiarem convulſivum includimus motum diſtinctum á contractione naturali, ita etiam interdum latè accipitur ut includat Epilepſiam, *vid. Hippocr. lib. 3. aphor. 2. 3. 4. &c. aphor. 25. 5. &c.*

§. IV.

Naturaliter autem conſtrictivo motu & vermiculari gaudere inteſtina, ut per totum tractum circilli videantur, quæ partim ſeſe conſtringendo chylum in vaſa lactea protrudunt, partim etiam deorſum excrementa propellunt quomodo in cane adhuc vivente vel morituro obſervare licet. Unde à περιστέλλειν hiccè motus periſtalticus ſeu circumpreſſorius ritè vocatur. In hoc igitur motu notandum, quod naturaliter exactè illi circilli circulum non forment; ſed ſæpius circulariter ſeſe conſtringant cochleæ adinſtar,ut tranſitus excrementis concedatur; Quod ſi vero ſe ſe arctè conſtringant, quam contractionem ſpaſmodicam vocamus,non ſolum à juſtò fortiori conſtrictione dolores excitantur; ſed etiam excremen-

men-

mentis tranſitus denegatur, undè motus inverſus fibrarum, quem nos convulſionem vocitare ſolemus, ubi hic notandum venit, quod hanc nempè paſſionis iliacæ conſtrictionem inteſtini inverſio aut convulſio notabilis non ſemper ſubſequatur, dyſenteriam enim paſſioni iliacæ conjunctam fuiſſe, plures Autores practici nobiſcum obſervarunt.

§. V.

Partes verò illæ nimijs convolutionibus atque anfractibus dotatæ ſunt, & quando periſtalticum motum inteſtinorum inveniunt, non in uno loco ſed in pluribus ſimul propter coarctatam in partem proximam flatulentiam revolutiones oriuntur, & hinc inde conſtringuntur fibræ inteſtinorum à flatibus, qui exitum liberum non invenientes & in partem proximam coarctati, inteſtina flatibus diſtendunt, ut una pars inteſtini intret alteram, hinc volvulus meritò dici poterit.

§. VI.

Sententiam hanc confirmare videtur de le *Boë Sylvius libro primo prax. med. cap. XV. XVII. & XVIII.* ubi obſervationem proponit ſequentibus verbis: Hujus mali cauſas obſervavi binas in mortuorum ſectione, alteram quidem Gangrænam ipſamque inteſtini corrupti corrugationem & coarctationem tantùm, ut fæcibus tranſitus deorſum omnis denegaretur, quin eædem ad regreſſum ſurſum, adeoque per vomitum egreſſum miſerandum cogerentur. Altera hujus mali cauſa poſt mortem, â me deprehenſa fuit, inteſtini tenuis parte quâvis coarctati ingreſſus in partem proximam, ſed flatibus ſolito magis expanſum erat inteſtinum.

§. VII.

Infarctus autem talis in quibusdam non ſemper obſervatur, ſed circuli ſeſe ſaltem conſtringunt modo in verſo & materiam ſurſum pellunt, uti obſervationes teſtantur, ſuppoſitoria & clyſteres vomitu fuiſſe rejectos *Vid. Sennert. cap. 58.* item *Isbrand. Diemerbr. p. 61.* Imò veri motus convulſivi in quibusdam obſervantur, iique atrociſſimi, ut non ſolummodo inteſtina inverſa ſed & diſtenta & rigida atque variè contorta conſpiciantur.

§. VIII.

Varias vero ob cauſas contractionem ad ſpaſmodicos affectus referre poſſumus, & quidem primò, quod convulſiva adſit conſtrictio valida & ſatis diu durans. Secundò propter dolores intenſiſſimos, qui genus nervoſum hic eſſe affectum, arguunt. Antea dictum fuit, quod motus convulſivi concomitentur, & vera Epilepſia ſubſequatur. Præterea ex curatione etiam patet, affectum hunc anti Epilepticis & ſpaſmodicis medicamentis, uti ſæpius in praxi obſervatum, felicius curari. Imò *Hippocr. aphor. 44 ſect. 6.* pro ſpasmodico affectu agnoſcit; dicens: quibus in ſtranguria volvulus ſupervenit intra dies ſeptem moriuntur, ſtranguria autem nihil aliud eſt quam ſphincteris veſicæ Urinariæ ſpaſmus, inteſtina in conſenſum trahens. Inter morbos capitis iſte morbus referri poteſt, quoniam ex dolore inteſtinorum paralyſis contrahitur. *Williſius part. 2. path. 14.* inquit: inter morbos capitis & nervoſi generis etiam affectus quosdam pedes & ventrem potiſſimum infeſtare ſolitos, nempe arthritidem & colicam jure referimus. Nam utriusque ſedem in partibus nerveis eſſe, à ſymptomate primario

ſcil. dolore concludere licebit, facilè igitur concludere poſſumus, à genere nervoſo depravatè agente ſæpiſſimè dolores iliacos ortum duxiſſe.

§. IX.

Plures definiverunt per dolores propter ſymptoma maximè urgens, ſed confundunt cum cauſa effectum, quia interdum ſine dolore præprimis diebus ultimis hic morbus affligit. Alii propter rejectionem recrementorum per ſuperiora, per vomitum ſtercoreum exprimunt, ſecundum *Hippocr. aph. 10.* Vomitus verò non ſemper adeſt, niſi in perniciosè ægrotante. Unde ſequitur, vomitum non eſſe de Eſſentia Ilei, ut ſemper hoc ſymptoma habeat conjunctum, inteſtinum enim jejunum vel ileum in cauſa excrementis delapſis haberi non poteſt.

§. X.

Nunc ſubjectum ſive pars affecta conſideranda venit, quæ extra omnem dubitationis aleam communiter inteſtina tenuia ſunt, quod evincit ſitus, quia dolor eo loco ubi tenuia ſunt inteſtina apparet. Imò motus inverſus periſtalticus inteſtinorum & excrementorum per vomitum rejectio teſtimonium præbent.

§. XI.

Præ aliis verò magis aptum eſt ileum, non ſolum ob gyros plures in quos convertitur, ſed & fibras tenſiores & nervos plures, quos obtinet. Neque tamen cœcum excludere poſſumus, utpotè circa quod originem hujus affectus *Bartholinus* obſervavit, non ſolum propter vicinitatem & connexionem, verum etiam propter eandem ſubſtantiam continuam atque ſtructuram. Negari tamen non poteſt, aliquam qvoque diverſam ac peculia-

rem

rem conformationem quælibet inteſtina obtinere, in primis verò tenuibus plures inſeri ramificationes nervorum, craſſa autem plures obtinere fibras carneas, omnia tamen varii generis fibras habere, certum eſt. *Williſius* triplicem deſcribit tunicam, interiorem ex fibris membranoſis longorectis; mediam ex carnoſis glandulis interpoſitis; Externam ex fibris nervoſis transverſalibus conſtare, affirmat. Quidam ſemilunares adſtruunt ab utroque latere, quaſi una extremitas fibrillæ in fibrarum oppoſitarum interſtitium ſeſe inſinuet, & ſic una alteram excipiat & vice verſa. Hæ non motum faciunt circularem, ut circilli per totum conſpiciantur tractum in viventibus, videatur *Bartholinus*. Valvulas, quas *Kerckermannus* in interiore tunica ſemilunares ſtatuit & vocat, nil niſi rugas inteſtinales repræſentare, judicamus.

§: XII.

Inteſtinum vero colon ac rectum motibus hiſce convulſivis ſimul quoque affici, excrementa motu periſtaltico inverſo rejecta, confirmare videntur. Cum quoque ventriculus ex ſimili ſubſtantia ac inteſtina componatur, non adeò immunis exiſtit, non ſolùm ob continuatum ductum, ſed etiam propter meſentericum, atque pancreaticum, qui ductus cum aliis viſceribus abdominis tam beneficio nervorum in conſenſum trahuntur, quam per membranas afficiuntur, unde non ſolum partes modo dictæ, ſed etiam cerebrum, cor laborant, uti conſequens Lipothymia & Epilepſia, in tenerimis hoc probant, *Bartholino* enim teſtante nonnunquam iliaca affectio etiam contagioſa & Epidemica exiſtit, interdum quoque endemia v. gr. in Inſula Jamaicâ.

§. XIII.

§. XIII.

Qvam difficilis autem & valdopere neceſſaria ſit Ætiologia ſive inveſtigatio cauſarum, tam ad morbum ritè cognoſcendum, qvam præcavendum & curandum, in propatulo exiſtit. Primum autem tractanda eſt cauſa immediata, qvæ fit ex inteſtinorum ſpasmodica irritatione, ſive periſtaltici motus inverſione, quâ mediante non ſolum omnia ſurſum inclinant, ſed & per inferiora ijsdem via præcluditur & alvus obſtruitur.

§. XIV.

Galenus pro immmediata cauſa accuſat ſpasmum, *Williſius* ſpirituum exploſionem. Non negamus qvidem ſpiritus animales hic qvoqve concurrere ad cauſam conſtrictionis; Nam etiam peccant, dum moventur in ordinatè, vel particulis acribus & exhalationibus irritantur, ut cum ad partes cum impetu ruant, uti in febribus obſervamus, ut nonnunquam nerveis fibris adeò firmiter implicentur, ut in ſua maneant conſtrictione.

§. XV.

Et qvid vomitio ventriculi aliud demonſtrat, quam in inteſtino ileo paſſionem Iliacam incipientem; circa ductum pancre aticum & cholodochum originem ſumentem, ut in cholera patet, ex qvo fundamento ſequitur, qvod hi morbi tantum differant ratione loci, non verò ratione cauſæ materialis eſſentialis.

§. XVI.

Cauſam mediatam conſtituunt humores acres & auſteri, qvi vel intra fibras & membranas latitant, easdemque vellicant, vel in cavitate inteſtinorum hærent & dolore atrociſſimo afficiunt, ac Inteſtinorum partes ner-

veas pungendo irritant ad contractionem, qvô factô, fibræ nunc in motus convulſivos nunc in ſpasmos contractæ, dolores atrociſſimos producunt.

§. XVII.

Modo prædicti humores acres â ſangvine ex arteriis ſeparati frequentisſimè hoc excitant malum, cacochymiæ enim ſcorbuticæ & melancholiæ autores exiſtunt, teſte *Drawizio de Scorbuto.* In qvibus enim tales humores peccant qvalitate & quantitate, ii ad convulſiones ſunt valdè proclives, Maſſa autem ſangvinea nimis eſt vitiata & multa cum aciditate & acredine impleta. Præter autem hoſce acres humores ſimul pituita viſcida interdum peccare ſolet, qvæ tenaciter fibris adhæret, & qvoniam ſimul acredine mixta, in fibris ſolutiones continui, excitat, imô majores dolores concitantur, & natura ad removendos hos humores eô magis inſurgit, qvo fit, ut fibræ ſe nimium qvantum conſtringant.

§. XIIX.

Præterea qvoqve Lympha â glandulis inteſtinalibus qvæ ſecernitur, ſi nempe in glandulis aliisqve fibris ſtagnatione acrior evadit, ad vellicationem & conſtrictionem fibrarum inteſtinalium ſuum qvoqve contribuit Symbolum. Si enim in glandulis inteſtinalibus non ſecernitur lympha tali modo fibris lympha manet impacta, & ſalia in fluorem abeunt, quæ ſoluta, vehementioris roſio nis cauſæ exiſtunt.

§. XIX.

Nec extra culpam erunt fermentum ventriculi ſuccusqve pancreaticus, qvando nimiâ aciditate pollent, â qvaeunq; etiam cauſa id fiat, qvatenus nempè vel nimis

ſecer-

ſecernitur humor acidus, vel bilis ob defectum ab obſtructione ductus choledochi in debita qvantitate in inteſtina non fluit. Qvando vero Bilis ratione ſalis lixivioſi, nimis eſt exaltata vel qvantitate peccat, tunc ſangvini commixta, acredine ſuâ fibras nerveas vellicat, ſalia enim talia in ſangvine contenta, ob humidi defectum, non ſatis diluuntur.

§. XX.

Idem judicium de flatibus etiam erit ſtatuendum, qvod ſæpius ſint in cauſa, qvia ſuperius adductæ obſervationes non tantum declarant, ſed docet id & ipſa flatuum natura: naturaliter enim ſemper flatus inſunt inteſtinis, hæc verò aliquantis per extenſa manent, & tranſitus excrementis non patet, juxta recentiorum placita, acres & humores viſcidos & glutinoſos interdum volatiles accuſamus, ſuppoſita enim causâ materiali flatuum, nempe bile & pituitâ viſcidâ, hæc mutuò commixta producunt flatus. Simile qvid obſervamus qvoqve in pueris, qvi arundine ſtramineâ aqva à ſapone viſcida inflando, bullas efformant.

§. XXI.

B. Sennert. in Prax. de Ileo triplicem agnoſcit cauſam, primò inteſtinorum inflammationem, ſive hæc per ſe accidat, ſive ob hernias aut inteſtinorum aliqvem abſceſſum, ſeu alium tumorem. Secundò fæcum retentionem, qvæ diſtendendo vel vellicando & mordendo naturam ad præpoſteram excretionem irritant. Tertio inteſtinorum Exulcerationem, & humores acres vellicantes, qui irritando cauſam præbent, ut natura depravatum motum inſtituat.

§. XXII.

Natura autem inflammationis in hocce conſiſtit, nimirum ſangvis ſi ſit nimis craſſus, & ob anguſtiam vaſorum progredi & regredi neqveat, vel qvatenus eum in locum impellitur, ut ſtagnando irritet fibras, quæ ſe conſtringendo, naturalem circulationem ſangvinis impediunt; undè inflammatio cum mox ſubſequenti Gangræna ſubſequitur.

§. XXIII.

Eodem modo de hernia inveterata dicendum, dum per nimis anguſtum foramen vacua inteſtina in ſcrotum delabuntur, excrementa autem per tam anguſtum foramen tranſire nequeunt, hinc accidit, ut ob molem ibidem morentur, & ſic induant acredinem, unde fæcum per osevomitio infallibiliter cum inflammatione & nonnunquam ſphacelo ſubſeqvuntur.

§. XXIV.

Nonnunquam quoque Cancer & exulcerationes præcedunt, ſi g. nervi ab acribus & humoribus erodentibus ſimul vellicentur, ſimul talis ſubſequitur inteſtinorum ſpasmus. Dum verò præter inflammationem etiam adducimus inveteratam herniam, & interdum ulcera quædam, quæ præcedunt interdum paſſionem iliacam, ea nonniſi cauſam ſuppeditant, niſi irritatio & contractio fibrarum ſubſequatur. Hinc ſæpiſſimè datur inflammatio inteſtinorum & Hernia ſine paſſione iliacâ. Eo verò tempore inflammatio & hernia fiunt cauſa paſſionis iliacæ, quando nervorũ ramus inſigniter patitur, ut ſe vehementer conſtringat & fibræ ſupra modum irritentur, niſi enim hoc fiat, neque vitiatur motus periſtalticus, neque

ex

excrementorum per os rejectio ſuccedit, ſi verò in Gangrænam abeat, tunc moritur patiens.

§. XXV.

Pari ratione à fæcibus retentis concludendum, quando hæ inteſtina irritant, & propter inveteratam Herniam atque inflammationem tranſire non poſſunt, hinc enim vel exſiccantur vel in flatus reſolvuntur, ab utroque ergò poteſt fieri fibrarum violenta irritatio.

§. XXVI.

Interdum quoque fieri poteſt, ut colica paſſio mentiatur paſſionem iliacam, ſæpiſſimè enim degenerat in paſſionem iliacam, undè quædam ſpecies colicæ convulſiva *Williſio* dicitur, hinc & Hippocrates ſub iliacá paſſione ipſam Colicam comprehendit, quæ exoritur, qvando nempe fibræ modo dictæ fortiter conſtringuntur & atrociores ſunt dolores, unde conqueruntur homines ac ſi corpori impactus ſit palus. Imò talis dolor à flatibus & interdum quoque ex humoribus acribus oriundus facilè in paſſionem iliacam transmutari poteſt.

§. XXVII.

Nec penitus omittenda venit intemperies calida & inteſtinorum ſicca conſtitutio, ſi enim naturaliter calida & ſicca ſit, valdè ad contractionem proclivis erit, ac fibræ in ſtatu tali ſe validius conſtringere poſſunt, accedente verò intemperie calida, eo citius fieri ſolet, unde Hypochondriaci aliàs ſicciores cacochymià laborant, utpote in quibus ſæpiusculè convulſiones inteſtinorum obſervantur.

§. XXIIX.

Lumbrici tam teretes quam lati itemque aſcarides,

ſi nimis mordeant & profundius corrodant fibras nerveas, etiam conſimilem conſtrictionem ſpasmodicam excitare valent.

§. XXIX.

Inter cauſas non naturales eminet aër, qui ſi nempè ſit nimis frigidus, acido ſuo auſtero in corpore jam latitans acidum nimium quantum augere & fortius fibras conſtringere ſolet. Uti quoque nimis calidus ſubtilibus exhalationibus, craſſior verò acidorum generationi haud minus anſam ſuppeditare poteſt.

§. XXX.

Vitioſa quoq; victus ratio tam qualitate quam quantitate peccans nocere quoque poteſt, ſi nempè ingurgitatione pyrorum crudorum uti *Foreſtus* loquitur, ex abuſu Cydoniorum *Zacut. Luſitan.* poſt caſei immoderatum uſum *Hervvig.* in obſerv. *Rolfinck* Poſt ab uſum braſſicæ conditaneæ & cœnam largiorem ſubſequatur. Itaque ea omnia, quæ in copia aſſumta, chylum crudum auſterum & craſſum fundunt, e. gr. fructus horarij immaturi, vina & cereviſia nondum defæcata, id malum cauſari poſſunt: Lac à fermento acido coagulatum vel aliâ ratione corruptum, in infantibus hunc affectum ſæpiſſimè excitavit, imò interdum quoq; in Adultis; ſic etiam fabarum ac piſorum, meſpilorum abuſus, flatus gignendo & fibras conſtringendo inſtar veneni rejicitur, undè *Jonſtonius in prax. Ileum* non aliter ac ipſa venena proclamat, v. gr. arſenicum, ☿ ſublimatum ac purgantia fortiora.

§. XXXI.

Accedunt præterea animi pathemata, quippe quæ ubi excedunt vel deficiunt, non minorem vim adhunc

mor-

morbum progignendum obtinent, quatenus ex ardeſcente homine bilis, vel ſangvini infunditur, vel ipſam inteſtinorum cavitatem profluit, vel quatenus humores à nimiâ triſtitiâ & vitâ ſedentariâ figuntur & aceſcunt.

§. XXXII.

Ratione differentiarum, alia eſt vehemens, alia levior. Ratione generis verò alia eſt eſſentialis, quæ per ſe oritur ex cauſis, vel intra inteſtinorum tunicas genitis, vel in cavitate contentis; Alia ſymptomatica, quæ alios inſequitur morbos; alia cum motu periſtaltico inverſo; alia cum motibus convulſivis atrociſſimis; Ratione ſubjecti alia eſt univerſalis, ubi totus inteſtinorum tractus afficitur; alia particularis, ubi vel ileum ſolum, vel portiunculæ ſaltem affliguntur.

§. XXXIII.

Ratione cauſarum, alia à bile lancinante; alia ab acido viſcoſo; alia ab intemperie calida & ſicca, alia à cacochymia ſcorbuticâ, & melancholicâ; alia â flatibus & acribus humoribus ſimul, alia itidem ab aëre externo auſtero & acribus alimentis ingeſtis atque acidis excitatur.

§. XXXIV.

Ratione ſymptomatum, alia cum, alia ſine excrementorum evomitione; alia cum ſolis doloribus; alia cum motibus convulſivis, cumprimis totius corporis & ſæpe etiam Epilepſia univerſali.

§. XXXV.

Signa quæ præſentiam crudelis hujus paſſionis denunciant, deſumuntur ex inteſtinis, quibus ſi admoveatur manus loco dolenti, à nimia fibrarum conſtrictione,

chor-

chordæ intenſæ duriter convolutæ ſpeciem repræſentant, item inteſtina inſtar farciminum inflata, & ob ſupra, & infra factam conſtrictionem in carcerantur, imò ſæpè tactu & viſu percipimus, quomodo contorqueantur & commoveantur inteſtina, dum modo hic, modo alibi intumeſcunt, modo vermium inſtar repunt. Ani ſphincter & inteſtinum rectum interdum ita conſtringuntur, ut ne ſpecilli extremum anus admittat. Revolutio prout ſupra dictum fuit, nec videri nec tactu percipi poteſt.

§. XXXVI.

Galenus loco citato inſeparabile ſignum uti loqvitur non eſſe vomitum, niſi in perniciosè ægrotante ſtatuit. Alimenta enim aſſumta primò, mox deindè bilioſa, & tandem ingraveſcente malo etiam alvi fæces magno cum faſtidio rejiciuntur, certisſimum ſignum motus inverſi inteſtinorum.

§. XXXVII.

Circa augmentum hujus mali alia adhuc ſymptomata accedere ſolent, nempè cordis anxietas, reſpirandi difficultas, Lipothymia & convulſiones totius corporis, diaphragmatis inflammatio cum ſequenti delirio.

§. XXXVIII.

Infantes quoque moleſtari inteſtinorum convulſionibus cum emaciatione, ſæpiùs obſervarunt Practici, nam etſi tormina Ventris habeant & excrementa ſecernantur porracea, non tamen facilè emaciantur, niſi pasſio iliaca conjuncta ſit. *Excell. Sennert.* cauſam ilei judicat eſſe facultatem chyli diſtributricem læſam, cum nempè conſtrictio inteſtinorum ſequatur, diſtributio chyli impeditur.

tur. Hinc non immeritò præcipuum cenſet ſignum paſſionis iliacæ. Conſtringunt ſe inteſtina naturaliter eum in finem, ut chylus percoletur in vaſa lactea; eum autem motus ſit præter naturam convulſivus, fibræ ſe quidem conſtringunt, ſed vaſa lactea ſimul conſtringuntur & occluduntur, & impeditur hoc modo tranſitus chyli in vaſa lactea.

§. XXXIX.

Ratione ſubjecti judicium ſequenti modo inſtituendum, ſi nempè dolores circa umbilicum & regionem iliacam perſentiuntur, ileon & inteſtina tenuia affecta eſſe pronunciandum, ſi in latere dextro ſit dolor fixus & ſcybala rejiciantur nondum perfecte à fermento inteſtini cæci putrefacta, cæcum æſtimatur affectum; Etſi nulla ſequatur ex cretio, tamen ex atrociſſimo dolore hoc affectum eſſe ſtatuendum; ſi verà rejiciantur excrementa, colon affectum erit, ſi ani occluſio adſit, & nihilominus rejiciantur excrementa, ani ſphincterem & coli fibras convulſas judicamus.

§. XL.

Quando ab acribus humoribus, aut flatibus iliaca paſſio originem trahit nullusque alius anteceſſit morbus,& ſi bilis peccet,plerumque dolorem anxietates circa præcordia concomitantur; Imò dolor eſt magis acutus; ſi acidum acre in causa eſt, conſtrictio major erit &c. pituitoſa etiam ſimulque acria rejiciuntur; Flatus vero ſi ad ſint, diſtendunt inteſtina, ructus aut crepitus ſ. v. afferunt levamen, quoniam non egrediuntur præcluſi.

§. XLI.

Si oriatur ex febri continua, ex cauſis prægreſſis

facilè cognoſcitur. Hernia in carcerata facilè ſe prodit, uti & dyſenteria, difficulter verò cancer cognoſcitur, uti rarò obſervatur.

§. XLII.

Quam incerta in hac paſſione ſit prognoſis, etiam ab ingenioſiſſimo Medico prolata, quotidiana teſtatur Experientia, à quàcunque etiam cauſa excitata hic fuerit. Levis, quæ colicam refert, facilius curatur; ſed quando ſpaſmus vehemens ſuccedere ſolet, cito mors ſubſequitur, quoniam neque partes ſolidæ, neque humidæ neque ſpirituoſæ, conſervari & nutriri, neque augeri & refocillari poſſunt, propter Chyli prohibitum affluxum *vid.* §. 4. *in Diagnoſi.*

§. XLIII.

Quod ſi inferior inteſtini pars ſubeat ſuperiorem, major reſtitutionis ſpes affulget; Globuli enim plumbei beneficio itemque per Clyſteres reprimere ac reducere poſſumus; ſi autem ſuperior pars inteſtini inferiorem ingreditur nulla ſupererit ſpes, quoniam nec globuli nec Clyſteres poſſunt auxilium afferre, ſenſim enim & ulterius pars pergit, unde magis magisq; anguſtia augetur, omnisque præcluditur contentis deſcenſus.

§. XLIV.

In volvulo ſigna lethalia *Avicenna* ſtatuit non ſolum, quando ægri per os rejiciunt ſtercus, ſed etiam quando habent fœtidum anhelitum, pariter ſudores fœtidos. *Galenus Epidem.* 2. enumerat partium extremarum frigiditatem inter volvuli ſigna lethalia, quoniam Gangrænam ſignificat, imò *Hippocrates* prædixit 7. *aphor.* 20. ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia vel convulſio, malum.

§. XLV.

Pueri etiam facilius quam ſenes hoc malum perferre poſſunt, ob fibras nondum adeo induratas, etſi hic morbus non valdè ſenibus ſit familiaris, ſi vero ipſi in hunc incidant affectum, ferè nunquam convaleſcunt.

§. XLVI.

Sic & ex Hernia nunc plus nunc minus periculoſa paſſio iliaca judicatur, ſi enim cum inflammatione, Gangrænâ, ſingultu, convulſione, aut ſtercoris vomitione, anhelitu ſpirandi fœtido, ſudoreque fœtido originem ſumſit, fere ſemper incurabilis & periculoſisſima eſt *Hippocrate* teſte; Quod ſi verô absque manifeſtâ causâ dolor evaneſcit, gangrænam denotat accesſiſſe; ab opiatis verò remittens, ſalvam adhuc eſſe rem judicat *Ettmüllerus.*

§. XLVII.

Ad ſalutem ſi tendat morbus, cognoſcitur exindè, quando ſymptomata maximè urgentia cum Euphoria remittunt, vel ſi robore circulantis naturæ, materia depravata vel per alvum aut etiam urinam propellatur.

§. XLIIX.

Qvando autem ſymptomata ingraveſcunt tunc ægrotans properat ad mortem, & tunc morituris ſudor frigidus, urinæ difficultas, reſpiratio difficilis, alvus item adſtricta accedit, ut nec fiſtulam clyſmaticam admittat, & fœtor ubique obſervetur.

§. XLIX.

Præmisſis nunc præmittendis ad Curationem accedimus. Noſter autem affectus uti morbus brevis ita & maximè periculoſus, imo ſi interdum inflammatio con-

juncta eſt, per acutus, ratio jubet, ut citò inſtituatur curatio, quæ tribus innititur indicationibus. Primò *Curatoriâ*, quæ fibrarum contractionem eſſe relaxandam indicat & convulſivos motus inhibendos eſſe, intemperiem inteſtinorum eſſe attemperandam. Secundo, *præſervatoriâ* poſtulat, ut expellantur humores, & res omnes fibras vellicantes; Si cacochymia adeſt, qualiscunque, corrigenda eſt, & humores eliminandi vitioſi ex corpore, quô refocillentur ſpiritus vitales & animales, & corrigantur ſylveſtres ac diſcutiantur. Tertio, Vires reſtaurandæ & confortandæ, quatenus debiles & proſtratæ ſunt. Quartò, ſymptomata, videlicet dolores, vomitus & alvi adſtrictio, mitigationem & curam expoſcunt.

§. L.

Fontes ex quibus auxilia deſumuntur ſunt tres, Chirurgicus, Pharmaceuticus & Diæteticus. Ex fonte igitur Chirurgico Venæ ſectio ut præſtantisſimum remedium hic locum primum meretur, in primis in plethora cacochymicâ & ubi inflammatio conjuncta eſt. Ab initio autem ſtatim viribus adhuc integris inſtituatur in brachio, inciſo nempe foramine amplo, ut cum impetu ſangvis quaſi revellatur & vaſa exinanita materiam impactam & latitantem reſumant, & natura ſimul in opere adjuvetur. Veſicatoria etiam non improbanda ſunt, quando nempe de lympha ſuſpicio adeſt: ſi infarctus inteſtinorum adeſt, globuli plumbei immittendi ſunt, qui gravitate ſua deorſum pellunt, qvod ſcilicet intra cavitatem receptum fuit; ſi autem ab inflammatione vel cancro, vel ulcerere paſſio iliaca exorta eſt, fruſtra omnia tentantur.

§. LI.

Ordine nunc ſeqvitur Pharmaceuticus, qui ſuppeditat evacuantia, ut humores in inteſtinis præter naturam hoſpitantes, evacuentur. Quæritur verò hic, an vomitoria adhibenda ſint? Reſpondetur, quod morbi natura in hoc videatur repugnare, dum enim in motu periſtaltico inverſo morbum conſiſtere diximus, per vomitoria potius morbus augetur, ſi tamen in principio exhibeantur, ubi in inteſtinis cauſâ morbi adhuc recens eſt, nonnulli ſvadent, judicantes, quod dum fortiter ventriculus movetur, inteſtina ſimul concutiantur, & in ſitum priſtinum reducantur; ut verò impacta materia ex primis viis expellatur, in hunc finem ſequens commendatur:

℞. ♀ri. *Emetic. Mynſicht. gr. iij. vel. jv. Sachari Scrup. ß. M. F. pulv. D. S.* Brechpulver auf einmahl zu nehmen.

Vel cui potiuncula arridet:

℞. ▽ *Flor. Papav. unc. j* ♀ *emet. Mynſicht. gr. iv. oxymell. ſqvillit. dr. ij. M. D. S.* Ausführendes Tränklein auf 1. mahl zunehmen.

§. LII.

Præmiſſis hiſce ſtatim ad Enemata confugiendum, qvoniam per ea alvus redditur laxa & materia peccans ſina eliminatur. In qvem finem Clyſteres emollientes ſine ſale, ſed ſola adjectâ Eſſent. Caſtor. adhibere ſolemus; vel ex Lacte cum ſaccharo albumine ovi *v. gr.* ℞. *Chamomill. Roman. Summit. abſinth: herb. mercurial. ãã. mj. bacc. laur. unc. ß. Rad. Zedoar. unc. j. cortic. aurant. unc. ß. ſem. cumin. carv. aneth. ãã, dr. ß. Coq. in ſ. q.* ▽ *ſimpl. Colatur.* ℞. ℔. *j. in quâ diſſolve Elect. de bacc. lauri unc. iß.*

Caſtor.ſcrup.ß.ol. ♌ *rutæ, chamomill. ãã. gutt.v. M. F.Clyſter D.cum ſiphone & bombace & applicetur.* aut mucilagine ſemin. pſyllij; Quod ſi autem multum ſtercoris in inteſtinis remanſerit, ijs adjici poſſunt, vel pulvis Colocynth. vel Trochiſc. Alhand. in petiá ligat: ut & ol. anethi vel olivarum, vel ex ſolo oleo vel alijs admixtis. Imò Clyſteres ♁niat. ut & cum Colocynth.& ☽.parat. inſignem uſum præſeferunt. Itidem purgantia, quandoque conveniunt, & quoniam motus inverſus præternaturalis adeſt, adhibeantur ea, quæ virtute pollent humectandi, ut ol. Amygdal. dulc. Manna liquida. Vinum Malvatic. &c. aliaqve lenientia; ad fortiora autem purgantia non ſtatim confugiendum. Niſi ubi jam omnis ſedata ſit irritatio, vomitu enim inteſtinali durante, purgantia fiunt vomitoria teſte *Sydemhamio*, qvi ait: purgantia non eſſe exhibenda, niſi prius corroborato ſtomacho. Conducunt etiam decocta laxat. ex Caſſia Elect. *Diaphænic. Diacarth.* cum ▽ Decoct. Hord. vel *Barbett. Apoz.* ex fol. ſenn. Agaric. & Rhabarb.

§. LIII.

Ubi autem fæces ſunt impactæ, nec Clyſterem nec alia purgantia proſint, & ſi alvi clauſura pertinax adſit, curatio per globulos deglutitos tentari poteſt, præmiſſo tamen ol. amygd. dulc. ut viæ prius lubricentur. Aut ☿ vivi quantitas ad unc. iiij, vel ut multi Practici volunt, ad aliquot libras propinetur, deinde motu inſtituto ex commendatione *Erbenij* de dolore Hypochondr. & agitatione in curru, vel in ſolium aqua tepida plenum æger immittatur & ſic motus ☿ij promovetur. Cum autem per alvum ☿rius rurſus effluxit, capiat æger Ol. Amygd.

Amygd. dulc. unc. ß. Ol. Aniſ. gutt. aliquot, ſi verò inflammationis vel exulcerationis metus, hariolетur, ab uſu ☿. cavendum, ne nempè pondere ſuo exulcerata inteſtina perrumpere, aut in remanendo ſalivationem inducat.

§. LIV.

Sudorifera hic etiam non ultimum occupant locum, & qvidem ea, qvæ virtutem ſimul acres humores corrigendi & imbibendi, & obtundendi acidos pollent: & qvoniam hic maximè genus accuſamus nervoſum. Aut Epileptica dicta conducunt cum opiatis mixtis; quoniam non ſolum mitigant dolores à conſtrictione ortos; ſed etiam aciditatem mirificè corrigunt, ebullitionem intra fibras compeſcunt, vigiliis, qvæ ſemper ferè ſunt comites, ſuccurrunt, ut ⊖ volat. C. C. cum opio mixtum, vel Cinnab. nativ. Magiſt. Cran. human. fœcul. pœon. ſpecif. Cephalic. *Hartmanni* & *Mich. Quercetan. Waldſchmid.* ſuccini pulv. Magiſt. Epilept. ⊖. vol. Cran. human. pulv. bez. *Sennert.* &c. hæc omnia cum Theriac. Cœleſt. vel opio miſceri poſſunt. V. gr. ℞. *Pulv. Bezoard. Sennert. dr. j. ſpecif. cephal. D. M. ſcrup. j. ſuccini prepr. dr.* ß. *Theriacæ Cæleſt. ſcrup. ij. Requie j. Nicol. ſcrup. i. laud. op. gr. ij. M. C. ſ. q. Syrup. papav. alb. F. Opiatum. D. S.* Schmertzſtillender Safft davon des Tages 2. mahl zugebrauchen/ bey dem Gebrauch wohl ümzurühren. Imò in affectibus ſcorbuticis antiſcorb. ut ♂tialia, ocul. ♋. Corall. rubr. Magiſt. Cochlear. ♉. Diaphor. Ebur. ſ. igne præpar. fœcul. aronis mixta cum Opiatis.

§. LV.

Cui verò magis arridet medicamentum in formâ liquidâ, tunc ſeqventia præſcribi poſſunt. nempe liquor. C, C. ſuccinat. Elix. cephalic. DM. Tinctur. caſtor. ♎. Carminativ. Item Eſſent. ♂tis liquid. Fumar. Tinctur. ♁nij ♀ſat. MPil. de Cynogloſſ. multum hic valent; ſi qvidem non ſolum propter narcoticam virtutem dolorem ſedant, ſed etiam cruditatem corrigunt. Ad acrimoniam verò ſiſtendam & temperandam juſcula conducunt pingvia cum Chamomill. decoct. vel Ol. Amygd. dulc. & quidem ubi motus periſtalticus inverſus jam ab inteſtino craſſo incipit.

§. LVI.

Inſimul externa varia uſurpanda ſunt, nempè, venter inungatur ungvent. ſpaſmodico Mynſicht vel Galbaneto *Paracelſi*. vel axung. Taxi, Ol. lauri, hyoſcyam. lumbricorum, aneth, ſcorpionum, & omnibus nervinis: quidam commendant ♎. Camphoræ ſi ſit ab humoribus, aut, ut ajunt ab inflammationibus. Quod ſi verò malum ortum ſit ab hernia, morbus hic variis externis curari debet, in hunc finem fotus emolliens & balnea, præſcribi debent, ut fibræ inteſtinorum relaxentur. ℞. *Fol. malv. flor. chamomill. aneth. ſem. lini. ãã. m. j. ſem. cumin dr. ij. M. Coquantur in lacte bubulo pro fotu, quo ſpongiæ imbuantur, eæque calidæ adhibeantur, & leni preſſione manuum reductio inteſtini tentetur.* Omni ſtudio ergò annitendum eſt, ut inteſtina delapſa reponantur. *Frid. Hoffmann.* pro certo experimento Emplaſtr. Magnetic. lumbis impoſitum commendat. Stercus ovillum cum lacte dulci coquatur, & cataplaſmatis inſtar pro fotu applicetur *B. Ettmüller*,

müller, plura alia qvæ ad hunc affectum ſunt accommodata in libris practicis, ubi de Hernia in ſpecie agitur, commendat.

§. LVII.

Durities autem, quæ in inteſtinis ſcrotum delapſis hic apparet, non eſt à fæcibus durioribus, ſed à tenſionibus ſpaſmodicis inteſtinorum, nam prolabuntur inteſtina tantùm ea, in quibus nondum ſunt fœces. Præterea non fomentis blandis ſolum, ſed & aromaticis & balſamicis internis cum opiatis, *Teſte Excell. Wedelio. Opiologia p. 120.* ſuccurrendum. V. gr. ℞. *Aqu. Carminat. Dorncreil. unc. ij. chamomill. Rom. unc. j. ſpirit. theriac. dr. jß. laudan. hyſteric. ſcrup. ß. Syrup. cortic. aurant. unc. ß. Miſc. D. S.*

Vel ℞. ♎. *Carminat. de tribus. dr. jß. Tinctur. ♀ri. dr. j. Eſſent. Carminat. DM. unc. ß. Tinct. anodyn. ſcrup. ß. M. D. in Vitro. S.* Schmertzſtillende Tropffen darvon 50. biß 60. zu nehmen/ auf 1. mahl.

§. LIIX.

Durante morbo, Diæta ſtrictè obſervanda, Victus verò ratio conſiſtit in moderamine ſex rerum nonnaturalium, quæ pro ratione cauſæ morbi à quâ oritur, varianda erit. Si ergò oriatur ab inflammatione, aër eligatur temperatus, ſi talis non haberi poteſt, arte parandus eſt; ſi ab obſtructione fœcum induratarum, aër eligatur humidus & vitetur ſiccus & nimium calidus.

§. LIX.

Quoad cibum & potum, maximè conducibilem æſtimamus tenuem teſtante Sydenhammo. In inflammatione victus ſit temperans; in fœcibus induratis emol-

liens, Potus omnis frigidus vitetur, calida intus & extus uſurpentur.

§. LX.

Somnus & vigiliæ hic pro varietate cauſæ moderentur. In inflammatione inteſtinorum potius ſomnus, in obſtructione verò vigiliæ modicæ imperandæ ſunt. Præterea Motus ut quies quoque varient. In inflammatione & hernia, quies; in obſtructione motus maximè conducit. Animi pathemata non excedant mediocritatem, animus igitur ſit erectus, quantum præ doloribus fieri poteſt, vitetur è contra ira & mæſtitia.

§. LXI.

Excretorum vel retentorum ratione, etiam in fine morbi adhuc magna cautela opus erit, ut ſemper humorum motus deorſum promoveatur non tantum, ut ſecurus reddatur æger ab imminente recidivâ, ſed & circulantes humores depurentur efficacius, in quem finem conducet vinum Medicamentoſum ex herbis amaris, ut Abſynth. Cent. min. Menth. roremarino Chamomi. rad. Zedoar. fol. Senn. Rhab. Paſſ. min. Cort. ☉rant. Cinamom. pro Nodulo. Menſuræ Vini. infund. Hæmorrhoides, urina & menſes liberè quoque fluant, neceſſe eſt.

TANTUM.

SOLI DEO GLORIA.

Hacte-

HActenus admiſeranda *Chalybs* homicidia promptus
Fit tandem vomer: Mars jacet atque tacet:
Enſibus in falces converſis omnia rurſus
Reſpirant, dum Pax redditur Imperio:
Eſt tamen atque manet bellôque togâque celebris,
Ac homini confert commoda multa *Chalybs*:
Pluribus in morbis præſtantia pharmaca promit,
Præcipuè ſplenem ſcit relevare *Chalybs*:
Id facit & noſter præclarus STHALIUS, ægris
Qui cluet auxilium ac anchora tuta ſuis:
Ut Medicâ porrò ſcintillet in Arte, nec unquam
Conſpiciatur hebes Nobilis, opto, CHALYBS.

αὐτοσχεδ.

D. GEORG CHRISTOPH. PETRI ab Hartenfelß/
Sacri Palat. Cæſ. Comes, Conſiliarius & Archiat. Elector. Mog. Conſul & Phyſicus Erffurtenſis, Fac. Med. p. t. Decanus, Senior, P. P. & P. L. C.

DE diro, STHALI, dum affectu diſſeris, auſis
Applaudit lubens noſter Apollo tuis.
Pulchrè cœpiſti; hinc Tibi *præmia ſpondeo larga:*
Tu modò, quâ cœptum eſt, currere perge viam!

Ita Nobiliſ. atque Experientiſſ. DN. DOCTORANDO gratulabandus acclamat.

JUSTUS VESTI, Med. Doct. Pathol. P. P. ejusque Facult. Aſſeſſor.

ASſolet ut chalybis multis dare maſſa ſalutem;
Sic noſter STHALIUS benè noſcit pellere morbos.
Hinc non immeritò Medico felice triumphant
Preſſi de tanto. Qvid non ego pectore grater?
Praxis felix atque thorus ſint proſpera cuncta!

Sic Nobiliſſimo atq; Experientiſſimo DN. DOCTORANDO benevolæ mentis teſſeram adjicere cum voto omnis proſperitatis voluit,

PRÆSES.
LUDO.

LUDOVICUS FRIDERICUS JACOBI,
Med. Doct. Profeſſ. Chym. Ejusd. Facult. Aſſeſſ. & Med. Milit. Ordin.
Praecellenti Clariſſimo atque Experientiſſimo
DN. PAULO CHRISTIANO Stahl/
Practico Lipſienſi feliciſſimo
Pro-Licentia diſputanti moxq; nuptias celebraturo his paucis acclamat feliciter!

QVi Miſerere mei clamanti pharmaca tradis,
Clamaſti ad cœlum; commiſerere mei!
Voti damnatus nam ſcandis pulpita STHALI
Pro meritis artis Pœoniæ ac Veneris.
Grator utrumque decus: cadat ac feliciter omne,
Quod Neo-Doctor agis; quod Neo-Nymphus aves!

ERri caro Cognato, ſe penſi, O ſperi,
Marcar Gloria vivendo a' tuoi Lavori.
Non ha metallo 'a Letterati Omeri
Ilmondo, à fabricar ſtatue ed Honori,
Seminati di ſpine ha ſuoi ſentieri.
La miſera virtù, freddi ſudori
Che denno coronare i tuoi penſieri,
Sanno irrigar gl', in fruttuoſi Allori.
Dopo morte ſi vive. Epoſto il ſoglio
Della Fama al ſepolcro. Un faggio morto
Aſcende Glorioſo in Campidaglio
Nell' occaſo fatal la Gloria hà l' orto,
J vivi ſol fà naufragar lo ſcoglio
Mà lo ſcoglio dell' urna a ſaggi è il ſorto.

Queſto poco per honore ſcrivera al molto illuſtre
e d Honoratiſſimo ſuo Cognato
M. CHRISTIANO FEDERICO Sinner / Lipſ.

QVid Tinctura valet Martis generoſa requiris?
Ecce CHALYBS monſtrat! digna brabæa ſuis
Sit CHALYBIS virtus felix per Neſtoris annos
Tunc tinctura viget Martis ubiqve precor.

Hæc in honorem Nobiliſſimi DN. Doctorandi amici ſui æſtimatiſſimi publicè diſputaturi animo gratulando adjicere voluit debuit
H. D. PRÆGER, Bilefeldienſes J. U. Studioſus.